



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Theodorvs Confess: 22. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

2. Verè liber est, qui servit, & obedit Deo; etenim unum duntaxat habet æquissimum, & facilissimum Dominum, cujus mandata & rationi maxime consentanea sunt, & nobis utilissima. Voluntarium hoc, & rationabile obsequium, quod Deo præstamus, nos liberat à turpissimâ & sævissimâ Tyrannide Dæmonis, libidinis, peccati. Ah! si libertas maximum est honorum omnium; cui, Domine, potiori jure meam ego devoverem, quàm tibi, qui mihi eam dedisti? *Deo parere, libertas est.*

3. Ut perfectâ & integrâ libertate in hoc mundo gaudeas, num Deum & timere, & amare debes. Omnia supplicia, afflictiones omnes, omnes mundi deliciae, opes, vanitates non poterunt vel ad minimum peccatum te impellere, si unum timueris, & amaveris Deum. Quot anxietatibus liberareris? si animo tuo aliùs inhæreret. nihil amandum esse, præter Deum, nihil timendum, præter Deum.

S. THEODORVS CONFESS:

22. Aprilis.

Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum. Luc. 14.

THEODORUM sexennem mater ad omnem licentiam informabat, cum S. Georgius,

ne

ne filium cæli Imperatori auctoratum vitæ
 corruptelis examinaret, præsens admo-
 nuit, pueri deinceps in sanctitate magister,
 Eunti ad ædem sacram dux adfuit, viam
 præstigiis orci præseptam & impeditam
 aperiens: Matri quoque, si à pietate
 filium avocaret, stricto mucrone exitum
 minatus. Propè interitum THEODORUS erat,
 quando decantatus ille Proteus assumptâ
 contubernalis formâ, incautum in præcipi-
 tium impulit præultor ipsius factus, eumq;
 exemplo tracturus, nisi custodis cura præ-
 valuisset. In templo Christum cum Virgine
 matre præsentem aspexit, à quo ad sancti-
 orem militiam invitatus, illicò stipendia fa-
 cere cœpit. Gigantem credidisses vim cœlo
 illaturum, si labores spectasses. Miraculis
 morborumq; medelâ clarus, quos aliis ab-
 sterlit, sibi gratulus est dolores, eos divi-
 nâ in se voluntatis argumenta dictitans.
 Venenum impiorum invidiâ mistum, Re-
 ginæ cælorum benevolentiam superavit, quæ
 piorum mens securitatem affert, certio-
 rem utique, quàm ii, qui periculosas Princi-
 pum epulas gustu explorant. Hunc Reginæ
 Cœlitibusq; tam charum, quid mirum est,
 si Reges nostri orbis suspexerunt, neq; passi
 sunt

sunt THEODORUM voto suo potiri, qui cùm probra sitiret, vel invitus honoribus mactatus est? *Ex Suvio.*

MEDITATIO

De correctione eorum, qui cura nostra subsunt.

i. **V**erius illa pellex fuit, quàm Mater THEODORI, quæ ad omnem vitæ licentiam pellexit filium: Neq; illa Mater diligit, quæ filium peccantem negligit. S. August. 1 de civit. c. 9. *Si neglexeris corrumpere, peior factus es eo, qui peccavit.* Si autem monueris, resipiscet Frater tuus, atq; ita animam lucificas ejus Christo. Quomodo tu fungeris hoc officio charitatis? & quomodo amas corrigi?

2. At, inquires, molestus ero amico meo, illum si toties monuero. Esto; An ideo debes officio tuo deesse? Iniquius fortè est tuum de humilitate ejus judicium: Adde, quod æger est, cui vel invito adhiberi debet medicina. Quando valebit, gratias tibi referet. Officii tui, non personarum habe rationem. *Nulli parcas, ut soli animæ parcas.* Hieron.

2. Si tamen existimes correctionem non modò inutilem, sed gravioris peccati occasionem fore, cave, eam adhibeas; præpostera plerumq; monitio, aut correctio omnem spem aufert resipiscentiæ ac emendationis. Capta sedulò opportuniæ monitionis tempus. Sæpius scalpellum in gossipio, odore moschi perfuso occultandum; sæpius catapotium

potium inaufrandum, ut æger ea non refugiat. Vis
fratrem corrigere, illachrimare, ora Deum, apprehensum
admone, consule, exhortare, monstra charitatem erga
proximum. Chrylost.

S. GEORGIUS Martyr.

23. Aprilis.

*Certa bonum certamen & appre-
hende vitam eternam. ad Timoth. c. 6.*

ANno post natum Servatorem XC. supra
ACC. GEORGIUS fortissimus CHRISTI
miles ob virtutem inter Tribunos adlectus,
tum Comitis etiam titulo à Diocletiano or-
natus, cùm hujus nihilominus efferam in
Christianos tyrannidem propalam damna-
set; in vincula & ipse tractus, saxum primò
ingens pectori injectum supinus fortiùs,
quàm cœlum Hercules tulit; ad machinam
deinde mucronibus omni ex parte arma-
tam, ut antè ad gladios in acie, risit. Hinc
calce tres dies sepultus, cùm illustrior sur-
rexisset, ferreos & ab igne candentes cal-
ceos indutus, nempe ad Olympiam coro-
nam cucurrit. Cæsus iterum immaniter, ac
alapis contusus, in ruborem languoremque
ipso